



## I. Abteilung: Abhandlungen.

### De Ratiocinio et Syllogismo.

#### Dissertatio.

Auctore Philippo Claramunt, O. S. B., mon. Montserratensi.

a) Cum ratiocinium sit operatio qua mens ad veritates quas ignorat, detegendas procedit, antequam de illius natura instituamus argumentum, sequentia circa veritatem duco praemittenda: 1. Impossibile est omnes veritates cognosci mediate, id est, aliam per aliam; sic enim singulae essent per se obscurae aut penitus ignoratae, nullusque adesset modus aut medium aliquam demonstrandi. 2. Necesse est proin admittere cognitionem veritatis immediatam seu per semetipsam tam in ordine reali seu existentiarum quam in ideali seu essentiarum. Nam in primis, quod ad originem realem attinet, cum rerum species (ideas) mens humana creare nequeat, sed a rebus ipsis accipiat, vel neganda est omnis humana cognitio, etiam de ordine ideali, vel asserenda immediata, id est, per ipsius rei cognitae praesentiam, in ordine reali. Sed in ordine quoque ideali cognitio immediata detur oportet, secus enim ratiocinium esset impossibile, quippe quod in veritate ordinis idealis, id est, in veritate vel iudicio universali, necessario fundatur, ut inferius declarabitur; si enim nulla veritas ordinis idealis cognosceretur per se vel immediate, sed omnes per ratiocinium detegendae essent, non inveniretur ratiocinii fundamentum. 3. Omnes reales existentiae, quae sensus nostros afficiunt, sunt veritates immediate cognoscibiles, ut cuique patet; et facta quoque interna, quae conscientiae testimonio nobis innotescunt. 4. Una existentia potest inferri ex alia per ratiocinium; hoc autem ratiocinium nequit fundari in ratione existentiae, sed in natura rei; ex unius quippe rei existentia non sequitur existentia alterius nisi per relationem dependentiae unius ab alia; relationes autem rerum non

fundantur in existentia, sed in natura. Ideo ex rerum visibilium existentia jure infertur existentia Dei; non praecise quia illae existunt, sed quia earum imperfectio seu limitatio, atque etiam ordo qui in eis elucet, postulat causam a qua factae sint. 5. Otiosum fere videtur adjicere omnem veritatem aut cognosci per evidentiam immediatam seu per seipsam, aut per demonstrationem seu per veritatem aliam; citra hos quippe modos aliquid cognoscendi alium non existere ignoratur a nemine. Nihilominus ea est humana fragilitas ut falli possimus vel in rebus intellectu facillimis, quin ab hoc vel ipsi sapientes inveniantur immunes. Doctissimus Balmes (Filos. fund., lib. 1, cap. 22) contendit hanc propositionem „evidens est verum“ nec evidentem per se esse nec demonstrabilem, et tamen asserit veritatem ejus: unde, quaeso, hanc veritatem eruit, si ipsa non est neque nota per se neque cognoscibilis per aliam?

b) His praelibatis, ad essentiam ratiocinii declarandam accedamus. Ratiocinium consistit in comparatione duorum conceptuum vel terminorum cum tertio qui dicitur medius, ut inde appareat an convenientia sit inter illos duos aut discrepantia. Sedulo autem advertendum est terminos cum medio comparandos in quolibet ratiocinio, vel syllogismo, qui ratiocinii expressio est, ad propositionem tertiam seu conclusionem ejusdem ratiocinii essentialiter pertinere. Nec miretur aliquis quod de hoc lectorem admoneam, eo quod ad ratiocinii essentiam tam evidenter pertineat: contingere enim potest ut aliquam Logicae regulam quis bene noscat, a qua tamen in quaestione aliqua insciens deficiat; quod utique in quaestione super demonstrabilitate existentiae Dei arbitror contigisse. — Adversus demonstrabilitatem existentiae Dei objici potest quod cum ideam de Deo non habeamus ignota existentia ejus, seu, quod idem est, cum de Deo ante cognitionem existentiae ejus cogitare non possimus, haec propositio „Deus est existens“ nequit demonstrari; nam si Deus cogitatur, jam cognoscitur existens, ut dictum est; si vero non cogitatur, nomen Deus est sensu vacuum, et sic non potest fieri comparatio terminorum praefatae propositionis, imo propositio ipsa nulla est. — S. Thomas nihilominus asserit quod in demonstratione existentiae Dei per creaturam assumere possumus pro medio id quod significat nomen Deus;<sup>1)</sup> hoc autem ex solis terminis objectionis propositae videtur

---

<sup>1)</sup> »Cum demonstratur causa per effectum, necesse est uti effectu loco definitionis causae ad probandum causam esse: et hoc maxime contingit in Deo, quia ad probandum aliquid esse, necesse est accipere pro medio quid significet nomen, non autem quod quid est, quia quaestio quid est sequitur quaestionem an est. Nomina autem Dei imponuntur ab effectibus: . . . unde demonstrando Deum esse per effectum, accipere possumus pro medio quid significet hoc nomen Deus.« — Part. 1, quaest. 2, art. 2, ad 2um.

impossibile. Difficultas ista non aliter, opinione mea, solvi potest quam per applicationem praefatae regulae logicae, juxta quam dicendum est quod demonstratio existentiae Dei per creaturam non est incipienda per terminos hujus propositionis „Deus est existens“, quia nomen Deus nequit esse subjectum conclusionis primi syllogismi in eadem demonstratione, quae non proficiscitur a natura causae, sed a natura entium quae effectus esse deprehenduntur, ad quam proinde pertinet demonstrationis medium, non ad id quod significat nomen Deus. Ecce quomodo in ista demonstratione procedit intellectus: — Ista entia (visibilia) sunt contingentia, limitata, etc.: sed entia hujusmodi non sunt a seipsis vel independentia: ergo ista entia (visibilia) non sunt a seipsis vel independentia. — Postea sequitur: — Ergo sunt ab alio, seu existit causa eorum. Hanc autem causam nominamus Deum: ergo existit Deus. — In quo demonstrationis processu apparet quodnam est medium demonstrandi existentiam Dei per creaturas. Est profecto earundem creaturarum imperfectio, quae in primo factae demonstrationis syllogismo per praedicata primae propositionis contingentia, limitata significatur, e quibus inferitur entium visibilium indigentia seu dependentia ab alio ente. Relatio ergo causalitatis ab effectu ad causam non est medium demonstrationis hujus, sed est id quod ex eadem demonstratione concluditur, et consequenter falsum est quod liceat assumere pro medio demonstrationis ejusdem notionem causae seu id quod significat nomen Deus: ubi enim relatio causalitatis seu dependentia entium a sua causa in rebus visibilibus deprehensa est, jam demonstratio facta est, seu causae cognoscitur existentia. Porro si pro medio demonstrationis assumeretur id quod significat nomen Deus, demonstratio non inciperet a notione rei quae est effectus, sed a notione causae; et hanc notionem exhiberet subjectum conclusionis primi syllogismi: quod in demonstratione de qua agitur, est impossibile, quia ratio cur in rebus visibilibus agnoscitur dependentia earum ab alio ente, est imperfectio ipsarum; et consequenter, cum rerum imperfectio sit medium demonstrationis, res quae imperfectae apparent, debent esse subjectum primae conclusionis. Praedicatum autem ejusdem conclusionis debet earundem rerum esse attributum, ut patet, non attributum causae, siquidem praedicatum propositionis est id quod dicitur de subjecto; aliunde vero de essentia illationis est ut terminus major (praedicatum conclusionis) et terminus medius de eodem subjecto praedicentur: ex eo autem quod ex imperfectione entium visibilium, quae est demonstrationis medium, inferitur eorundem entium relatio dependentiae ad aliud ens, in praedicato conclusionis ejusdem syllogismi involvitur istud ens seu causa illorum entium, et non quidem secundum sui notionem tantum, sed secundum suam

quoque realem existentiam. Notio igitur Dei vel causae primae in demonstratione existentiae ejus non habet locum, antequam scilicet eadem existentia detegatur. Et hoc valet etiam in suppositione quod ante cognitionem existentiae Dei proponi posset quaestio an Deus sit, nam hoc etiam in casu propositio „Deus est existens“ esset simpliciter fructus demonstrationis, non autem sumerentur ex ea termini in demonstratione comparandi, ut satis probatum est. Sed praeterea impossibile est proponere quaestionem an Deus sit ante cognitionem existentiae Dei, quia Deum non cogitamus quin eum agnoscamus existentem, siquidem quod primo de Deo concipimus, est ipsum existere tamquam primam causam rerum omnium. S. Thomas asserit quidem prius nos Dei existentiam cognoscere quam essentiam, „quia quaestio quid est sequitur quaestionem an est“; et ideo docet medium demonstrationis non esse id quod Deus est, sed id quod significat nomen Deus: sed quid significabit nomen Deus, si non significat id quod Deus est? Porro vel de Deo absolute non cogitamus, vel aliqualem de essentia ejus notionem concipimus, sicut in rei notitia cujuscumque contingit; quae quidem Dei notio incipit a conceptu primae causae, et gradatim ratiocinando perficitur; et consequenter vel nihil de Deo cogitamus, vel ut causam omnium entium, et proinde ut existentem eum concipimus. Ergo nomen Deus, non significans aliquatenus Dei essentiam, est nomen inane, nullum conceptum mentis repraesentans: tale autem nomen non est verum nomen, et terminus alicujus propositionis esse non potest. Praeterea, si, ut ait S. Doctor, Deum ab effectibus nominamus, („Nomina autem Dei imponuntur ab effectibus“) et ab effectibus quidem secundum rationem effectus, secus enim verba S. Doctoris nihil significarent, in tantum enim consideratio rerum sensibilibus utilis est ad cogitandum de Deo in quantum earum ab aliqua causa dependentiam cognoscimus; manifestum est quod quando nominatur Deus, jam cognoscitur existens; et consequenter id quod significat nomen Deus, nequit adhiberi ut medium demonstrationis existentiae Dei. Si S. Doctor proposuisset sibi eamdem difficultatem quam ego solvendam suscepi, forte aequivocationem non incurrisset: sed ecce quomodo procedit loco citato: „Medium demonstrationis est quod quid est. Sed de Deo non possumus scire quid est, sed solum quid non est, ut dicit Damascenus (Lib. I de orthod. Fid. cap. IV.) Ergo non possumus demonstrare Deum esse.“ Ad quam objectionem respondet per verba supra exscripta in nota. Cui equidem plene satisficit dicendo quod cum existentia Dei demonstratur per creaturam, nequit demonstratio fundari in eo quod Deus est, sed in natura rerum quae ab alio ente dependentes deprehenduntur. Et nihilominus vult S. Doctor (et quidem contra necessarium ordinem hujus

demonstrationis de qua agitur, in qua medium debet esse aliquid pertinens ad effectum et non ad causam) quod id quod significat nomen Deus, assumi possit ut medium ad probandum Deum esse: non autem alia, ut videtur, de causa nisi quia nomen Deus est subjectum propositionis qua enuntiatur veritas demonstranda; verum in hoc, juxta probata, deficit a regula logica quam declarandam assumpsi, terminos videlicet cum medio comparandos in quolibet ratiocinio vel syllogismo ad propositionem tertiam seu conclusionem ejusdem syllogismi essentialiter pertinere; nam propositio „Deus est existens“ demonstrationis quidem est fructus, sed ad eam non pertinent termini in demonstratione comparandi, et ideo ipsa non est conclusio syllogismi in quo demonstratio fit. Praeterea circa praemissam majorem objectionis quam S. Thomas sibi proponit, „Medium demonstrationis est quod quid est“ scire oportet quod si per illud quid intelligatur subjectum conclusionis cujusque syllogismi seu id de quo dicitur quod in unoquoque syllogismo probatur, propositionis illius enuntiatum semper et in omni casu verificatur, quin ulli exceptioni umquam sit locus, quoniam de essentia ratiocinii est ut medium sit aliquod subjecti conclusionis praedicatum; nam ad cognoscendum an praedicatum propositionis demonstrandae (praedicatum conclusionis seu terminus major syllogismi) subjecto ejusdem propositionis conveniat necne, non aliud suppetit medium quam praedicatum aliud ejusdem subjecti certo conveniens ei, nisi alia via quam per ratiocinium res nobis innotescat aut constet, v. g. ex aliorum testimonio aut per cognitionem experimentalem. Si vero per illud quid non intelligatur subjectum conclusionis uniuscujusque syllogismi, sed simpliciter subjectum propositionis qua enuntiatur demonstrationis objectum vel fructus, sic non est necesse ut medium demonstrationis sit quod quid est; et ideo potest fieri demonstratio existentiae Dei quin assumatur pro medio id quod significat nomen Deus, quia propositio „Deus est existens“ non est conclusio syllogismi in quo demonstratio fit, id est, syllogismi per quem detegitur dependentia entium a sua causa, ut videre est in demonstrationis hujus processu supra posito. Insuper, quod sedulo notandum est, in eadem demonstratione existentiae Dei non modo medium illius syllogismi in quo demonstratio fit, pertinet ad subjectum conclusionis syllogismi ejusdem, sicut in omni ratiocinio contingit, sed praeterea terminus major hujus syllogismi (praedicatum conclusionis) non concipitur aut cogitatur tamquam praedicatum subjecti conclusionis demonstrandae, ita ut ante demonstrationem possit quaestio ista proponi: „an ista entia (visibilia) sint ab alio dependentia“; sed tunc cogitatur praedicatum ipsum ab alio dependentia tamquam praedicatum subjecti conclusionis ista entia, cum jam virtute medii contingantia,

limitata etc. subjecto ipsi deprehenditur convenire: nam secundum ordinem rationis prius visibiles cognoscuntur imperfectae quam ab alio ente dependentes, siquidem haec dependentia ex illa imperfectione inferitur; et ideo prius cognoscitur terminus medius syllogismi de quo agitur, quam terminus major, id est, non solum de subjecto prius affirmatur, sed prius etiam cogitatur seu menti occurrit; propter quod praemissam minorem „ista entia (visibilia) sunt contingentia, limitata, etc.“ in loco majoris posui, quia prius nobis constat haec veritas ordinis realis et experimentalis, imperfectio nimirum rerum visibilium, et deinde rerum earundem ab alio ente dependentia consequenter a cognita imperfectione earum cogitatur et agnoscitur. Ideo igitur nequit ante demonstrationem proponi quaestio „an Deus sit“ seu non possumus cogitare de Deo, quia pariter impossibile est proponere quaestionem „an entia visibilia sint ab alio dependentia“ seu de eadem dependentia cogitare; nam cogitatio sive de Dei existentia, sive de aliorum entium ab eo dependentia, demonstrationis est fructus. — Relinquitur ergo: 1. medium demonstrationis existentiae Dei per creaturam ad naturam rerum visibilium vel entium a Deo dependentium pertinere, non ad notionem ipsius Dei. 2. Medium omnis demonstrationis esse quod quid est, quatenus in unoquoque syllogismo illativo pertinet ad conclusionis subjectum. 3. Distinguendum esse, ad vitandum errorem in hoc puncto logico, inter propositionem quae est simpliciter fructus demonstrationis, qualis est „Deus est existens“ in demonstratione existentiae Dei per creaturam, et propositionem ad cuius subjectum pertinet demonstrationis medium. 4. Rursus distinguendum esse inter praedicatum conclusionis quod tamquam praedicatum subjecti conclusionis ejusdem cogitatur ante demonstrationem, etsi adhuc de subjecto ipso non affirmetur, et praedicatum conclusionis quod tamquam praedicatum subjecti conclusionis ejusdem non cogitatur nisi quum jam subjecto convenire cognoscitur, id est, quum tamquam praedicatum ejusdem subjecti detegitur virtute medii seu demonstrationis, quale est in demonstratione existentiae Dei praedicatum conclusionis „ista entia (visibilia) sunt ab alio dependentia“. Unde 5. quia dependentia entium visibilium ab alio ente non cogitatur nisi quum jam illis attribuitur, ideo Deus non cogitatur nisi quum jam existens cognoscitur sub ratione causae illorum entium ab alio dependentium. Consequenter ante demonstrationem existentiae Dei nomen Deus est sensu vacuum, seu nihil potest significare de Deo vel prima causa entium. — Verum tamen haec omnia quae de demonstratione existentiae Dei dicta sunt, in rigore logico intelligantur oportet et de Dei existentia detegenda: nam nihil obstat quominus existentia Dei jam cognita, ad exercitium virtutis intellectivae atque scientiae incrementum proponatur quaestio „an Deus existat“.

c) Deinde ex eo quod in omni ratiocinio medium demonstrationis est quod quid est, seu pertinet ad naturam subjecti conclusionis, hoc sua sponte sequitur corollarium, omne scilicet ratiocinium, sive versetur circa rem idealem, sive circa realem vel experimentalem, semper, necessario et essentialiter fundari in iudicio ordinis idealis; ad hoc enim ut syllogismus vim habeat concludendi, requiritur unam saltem ex praemissis esse universalem, etiamsi ambae sint ordinis experimentalis, ut quum leges Physicae phaenomenis quae in corporibus cernimus, applicantur; nec universalitas qualiscumque sufficit, sed universalitas proprie dicta, quae non in completa inductione continetur, sed oritur ex natura rei; in qua quidem universalitate semper ideale involvitur elementum, quamvis propositio sit de re experimentalis, quia per solam experientiam non nisi determinatus numerus individuorum cujuslibet speciei nobis innotescere potest, universalitas autem quae fundatur in natura rei et fundamentum est ratiocinii, non in aliquo numero consistit individuorum speciei, sed in ratione specifica; et si contingat omnia per inductionem enumerari alicujus classis individua, propositio qua de illis enuntietur aliquid per solam experientiam notum, non erit universalis formaliter et absolute, sed materialiter tantum et relate ad ea quae ut veritates facti per experientiam nota sunt; talis autem propositio poterit quidem esse membrum syllogismi expositorii, nequaquam vero fundamentum illativi, in quo non nisi locum praemissae minoris aut particularis occupare potest. Omnia haec exemplis illustremus, declarando simul in quo differat inductio a syllogismo. — Omnis scientifica demonstratio in ratiocinio, quale expositum est, essentialiter consistit: unde inductio et syllogismus non possunt inter se differre sub conceptu scientificae demonstrationis vel ratiocinii; sed cum syllogismus nihil aliud sit quam expressio ratiocinii, nequit inductio vim habere scientificae demonstrationis, si non continet in se syllogismum, et quidem illativum. Oportet ergo declarare quid inductio addat supra syllogismum, in eo quippe collocanda est ratio differentiae inter utrumque. Id igitur notandum est differentiae inter syllogismum et inductionem, quod syllogismus procedit ab generali ad particulare, id est, per *synthesim*; inductio vero a particularibus ad universale, id est, per *analysim*: ad universale autem proprie dictum inductio non devenit nisi per syllogismum, cujus formationi praeit quasi materiam praeparando. Porro inductio, separatim a syllogismo, non consistit nisi in observatione et enumeratione particularium seu individuorum alicujus generis vel speciei, cujus observationis et enumerationis finis est ut aliquid de individuis in communi affirmare liceat aut negare: sic ex eo quod observatis singulis planetis, singuli lucem a Sole accipere comperiuntur, pronuntiatur de illis in communi:

— planetae vel omnes planetae a Sole lucem accipiunt. Propositio autem universalis quae ex hujusmodi inductione habetur, non est universalis formaliter, sed materialiter tantum, id est, relate ad individua quorum experimentalis cognitio habetur; et proinde ejusdem conditionis est atque propositio particularis, qualis est ista: „Aliqui discipuli Christi Domini libros divinitus inspiratos conscripserunt“, in utraque enim pariter exprimitur unica enuntiatione sola veritas facti, quam constat locum habere in singulis enumeratis individuis. Jam vero ex propositione cujus enuntiatione restringitur ad aliqua particularia vel individua, id est, ad ea, sive omnia sive non omnia, quorum existentiae notitia habetur, nihil omnino deduci potest vi extensionis ejus pro aliis particularibus ejusdem generis vel speciei sive existentibus sive possibilibus; et ideo talis propositio, quamvis subjectum ejus sit affectum signo universalitatis seu termino *omnis*, non habet universalitatem proprie dictam. Unde manifestum fit quod in sola inductione, separatim scilicet a syllogismo accepta, sive completa sit, sive incompleta, id est, sive omnia sive non omnia enumerentur individua, nulla est scientifica demonstratio, sed sola observatio et enumeratio individuorum; nec ad propositionem formaliter universalem per eam possibile est devenire. Devenitur autem ad talem propositionem efformandam, si inductioni, etiam incompletae, addatur syllogismus illativus, id est, si post analysim adhibeatur synthesis; si veritati ordinis realis quae in individuis enumeratis cernitur, applicetur veritas ordinis idealis, nam quaelibet hujus ordinis veritas universalis est natura sua. Huic autem applicationi veritatis idealis ad veritatem ordinis realis praemittenda est non qualiscumque individuorum observatio et experientia, sed experientia diligens et observatio attenta, quatenus per eas sepius diversisque in adjunctis repetitas certo constet phaenomenon aut factum quod in enumeratis individuis aequae cernitur, non quibusdam circumstantiis, sed uni eorum naturae esse adscribendum, quoniam multi effectus specie identici uni specie causae tribuendi sunt; et inde fit ut id quod in singulis individuis enumeratis notatum est, non ad eadem enumerata individua restringatur, sed extendatur ad omnia quae eandem eorum naturam vel actu participant, vel participare possunt; et haec est extensio propositionis formaliter universalis, quae scilicet non consistit in determinato numero individuorum alicujus speciei, sed in ratione specifica, quae omnia, etiam ignota, complectitur individua. Haec igitur ratiocinatio quae observationem exicipit individuorum, ipsa est per quam, materia per inductionem praeparata, ad propositionem formaliter universalem devenitur: ipsa est syllogismus sine quo, ut supra diximus, processus inductivus vim scientificae demonstrationis non haberet. Exemplum processus inductivi cum

scientifica demonstratione habemus in modo inveniendi vel condendi leges Physicae. Corpus A v. g., corpus B, corpus C, et omnia corpora terrestria quae sensibus nostris offeruntur, quocumque in statu inveniantur, vel soliditatis vel fluentiae, vel caloris vel frigoris, vel humiditatis vel siccitatis, et cujuscumque sint speciei, constanter et uniformiter, si nullo extrinsecus praepediantur obstaculo, terram versus moveri cernuntur; unde perspicuum fit talem motum a nullo ex illis statibus pendere aut accidentibus, sed esse proprietatem corporum quia corpora sunt, et attractioni terrae obnoxia sunt; et consequenter motum eundem non iis dumtaxat quae observavimus, sed omnibus terrae corporibus esse communem. Hujus profecto universalitatis notitia non soli experimentalis individuorum cognitioni debetur, siquidem inductio in hac re necessario est incompleta, cum impossibile sit omnia corpora quae in terra sunt et moventur, enumerare et observare; sed fundatur in natura ejus cui tamquam causae motus supradictus adscribitur, id est, in notione corporis terrestris, quae non ad ea tantum corpora in quibus phaenomenon conspeximus, sed ad omnia prorsus in terra existentia extenditur, et ad plura adhuc, si existerent, extenderetur. Unde etiam quando inductio est completa, seu etiamsi omnium corporum terrestrium motum observare liceret, propositio enuntians universalitatem modo dictam, non vi inductionis eam universalitatem haberet, sed vi notionis illius communis quae per se ad omnia individua extenditur, sive plura sint, sive pauciora; solius enim vi inductionis, vel completae vel incompletae, propositio non nisi determinatum complectitur numerum individuorum, nec aliud enuntiat quam veritatem facti, quae ut quid singulare nota est in singulis individuis, et ideo sic praedicatur de omnibus in communi sicut de unoquoque potest sigillatim praedicari: unde quod enuntiat propositio aliqua solius vi inductionis, per se est singulare, est enim veritas facti quae in individuo A, in individuo B, etc. notata est; nec alia de causa ponitur in plurali nisi quia multae veritates singulares una junguntur enuntiatione; et consequenter indifferens est, relate ad universalitatem formaliter sumptam, quod plura vel pauciora talis propositio complectatur individua, nec non quod subjectum ejus termino omnis vel aliquis sit affectum, nam extensio horum terminorum in propositione huiusmodi non est metienda attendendo ad totalitatem quam significat propositio formaliter universalis, quae extenditur ad omnia individua speciei, sive nota sive ignota, sive existentia sive possibilia, sed attendendo ad totalem numerum individuorum quorum existentiae notitia habetur; et consequenter erroris logici est arguendus qui universalitatem istam materialem, quae in alicujus notitia facti in determinato individuorum numero observati tota consistit, cum

illa confundat formali quae in natura rei fundatur, quaeque sola potest demonstrationis esse principium, juxta regulam syllogismi „aut semel aut iterum medius generaliter esto“ quae inferius explicabitur. Re quidem vera, inductio completa et incompleta non differunt nisi secundum magis et minus, id est, secundum majorem vel minorem numerum individuorum, quoniam utraque consistit in multis factis singularibus enumerandis, et per hoc solum non efficitur aliquid per se commune vel universale, nam quantumvis multiplicentur notitiae singularium, universalem conceptum numquam in mente per se generabunt, vi nimirum solius numeri, siquidem magis et minus non mutant speciem; unde sic se habet inductio completa ad incompletam sicut incompleta ad aliam pauciorum individuorum, ut si supponamus in inductione incompleta centum enumerari individua, mille autem in completa: porro eadem est proportio inter mille et centum atque inter centum et decem quae alia possent inductione incompleta recenseri; sicuti etiam inter mille et decem millia, si tot possent individua existentia aut nota numerari. Luce est igitur meridiana clarius inter inductionem completam et incompletam non esse differentiam nisi secundum numerum individuorum, et vi utriusque pariter non haberi notitiam nisi veritatum singularium, et consequenter signum universalitatis omnis in propositione quae inductionis completae summam exhibet, non apponi nisi ad significandam summam individuorum quorum existentiae notitia habetur; cui proinde propositioni non est extensio verae universalitatis propria, sed si universalitati proprie dictae talis propositionis extensio comparetur, propositioni particulari est ipsa equiparanda, nec alius profecto quam propositionis particularis erit in syllogismo illativo effectus ejus. Uno verbo, per solam notitiam singularium nequit concipi in mente vera universalitas; sed haec postulat aliquid commune a singularibus abstractum, quod utpote a differentiis individuorum praescindens, et solam referens speciem aut genus in quo conveniunt, aptum est aliis in infinitum individuis ejusdem speciei vel generis mentaliter applicari: quod si hoc sit v. g. aliqua causalitas, iisdem individuis asserenda est cum effectibus suis, juxta axioma, utique ideale, „eadem causa eosdem producit effectus“; et inde habetur propositio formaliter universalis, ad quam ordinatur inductionis processus analyticus. Porro virtute praefati axiomatis, quod est veritas ordinis idealis, leges Physicae inveniuntur, quatenus per illud phaenomena quae in multis corporibus observata sunt, omnibus aliis corporibus quae ejusdem sint speciei, asseruntur: hoc autem fit per syllogismum vel ratiocinium hoc modo: — eadem causa eosdem producit effectus: sed causa horum phaenomenorum non in his tantum existit corporibus in quibus experimentum fecimus, sed in omnibus quae pertinent

ad speciem eorum: ergo et phaenomena pariter in omnibus ejusdem speciei corporibus producuntur. — Ecce ergo quomodo scientifica demonstratio vel ratiocinium, etiam procedendo per inductionem, in solo consistit syllogismo; et omne ratiocinium, etiam in ordine experimentaliter, in principio ideali fundatur.

d) Natura syllogismi illativi et inductionis distincte declarata, restat, antequam ejusdem illativi syllogismi regulas explicemus, ut de syllogismo expository pauca dicamus, quibus ea quae de propositione materialiter et formaliter universali supra exposuimus, confirmabuntur. Syllogismus itaque expository illativi formam imitatur, sed vel caret propositione universali vel proprie dicta universalitate, quae fundamentum est illationis. Imitatur, inquam, formam illativi, quia sicut iste, constat tribus terminis tribusque propositionibus; verum in illativo, praeter differentiam quam secundum universalitatem assignavimus, comparatio terminorum fit secundum conceptuum convenientiam aut discrepantiam, in expository autem non sic, sed secundum identitatem aut non identitatem significationis inter duos terminos, id est, secundum quod idem significant duo termini materialiter diversi, aut etiam diversos respectus vel attributa ejusdem rei in concreto repraesentantes eandem rem in recto significant; vel e contrario duo termini sono vocis identici significant res diversas: et consequenter in syllogismo expository, ut ipsum innuit nomen ejus, non conficitur scientifica demonstratio, quia non proceditur ad veritatis detectionem medio conceptu universali, sed simpliciter exponitur vel declaratur quid significant duo termini, an rem eandem vel diversas, ut exinde praedicatum quod rei per unum eorum significatae attributum est, sit quoque rei per alterum significatae asserendum, aut secus. Exemplis haec patefient. Sit pro diversis terminis eandem rem significantibus: — Alexander vicit Persas: sed Alexander fuit filius Philippi: ergo filius Philippi vicit Persas. — Syllogismus iste, ut nemo non videt, totus in eo consistit quod Alexander et filius Philippi unum eundemque hominem significare dicantur, quatenus victoria de Persis huic homini sub secundo nomine tribuatur sicut sub primo. Et possunt etiam in syllogismo hujusmodi significari res diversae per unum materialiter terminum bis usurpatum, ut si dicam: — Jesus in quo adimpleta sunt vaticinia de Messia venturo in mundum, ipse est Filius Dei: sed in Jesu filio Nun, non sunt adimpleta vaticinia etc.: ergo Jesus filius Nun, non est Filius Dei. — Insuper, cum dixerim supra quod syllogismus expository vel caret propositione universali, vel proprie dicta universalitate, quae fundamentum sit illationis, oportet aliud hujusmodi syllogismi praebere exemplum in quo altera praemissarum sit universalis, ut ea quae de propositione materialiter et formaliter universali supra dis-

seruimus, evidentiora fiant. Talis porro erit syllogismus, si dicam: — Omnes planetae a Sole lucem accipiunt: sed Jupiter est unus ex planetis: ergo Jupiter lucem accipit a Sole. -- Revera praemissa universalis hujus syllogismi non habet universalitatem proprie dictam, ut ostendimus supra loquendo de inductione, sed universalitatem materialem tantum seu relate ad determinatum numerum individuorum, quatenus factum enuntiat quod in singulis enumeratis individuis observatum est. Unde syllogismus ipse non est illativus, sed scopus ejus est identificatio duorum terminorum quoad rem per eos significatam, quatenus nomen Jupiter repraesentat unum ex planetis, qui a Sole lucem accipere comperti sunt. Porro universalitas proprie dicta non restringitur ad determinatum numerum individuorum, sed fundatur in natura rei, unde habet quod sit fundamentum scientificae demonstrationis; et consequenter praefata praemissa universalis non enuntiat aliquid proprie universale, sed simpliciter veritatem facti. Et ad regulas jam syllogismi illativi explicandas veniamus, quo tum structura ejus tum ad persuadendum efficacia melius perspiciantur.

(Continuatio sequitur.)

## Zur Geschichte Glanfeuils im IX. Jahrhundert.

Von Dr. P. Beda Franz Adlhoeh, O. S. B. in Metten.

### Artikel I.

Das Benediktinerkloster Glanfeuil (St. Maur-sur-Loire), südlich von Angers an der mittleren Loire, wurde im Mai 543 durch den hl. Maurus von Cassino und seine 4 Gefährten auf dem Gebiete einer galloromanischen Villa des damaligen Vizegrafen Florus gegründet, und von ihm unter Guttheißung des Königs Theodebert I. (534—548), seines Freundes, so ausreichend begabt, daß es vom Jahre 569 an 140 Mönchen eine klösterliche Lebensführung erlaubte.<sup>1)</sup>

Seine ersten Äbte waren: 1. *S. Maurus* 543—582 († 584), Schüler Benedikts in Subiaco und Cassino. — 2. *Bertulfus*, geb. 535, Sohn des Stifters Florus, Oblat 543, reg. 582—604. — 3. *Florian*, Sohn des Harderad, des Vizedoms von Le Mans und Führers der Kolonie aus Cassino nach Gallien, eines Geschwisterkindes mit Florus, reg. seit 604.<sup>2)</sup>

Namen und Geschichte der Nachfolger bis zur Mitte des 8. Jahrhunderts sind unbekannt. — Es scheint jedoch, das Kloster

<sup>1)</sup> Acta SS. Boll. Jan. I, 1046 ss., 1049 ss. Vgl. »Studien u. Mitteilungen aus dem Bened.- u. Cisterc.-Orden« (= St. Be. Ci.) 1905, 4, 213.

<sup>2)</sup> St. Be. Ci. 1905, 209 (ibid. S. 518 f. über Florus).